



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 72. Quid observandum sit circa Missas votivas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

§. 9. Dum elevatur hostia, pollices, indices & musculi manuum junguntur, ut firmitus teneatur hostia, tres autem ultimi digiti extensi adinvicem junguntur. 493.

§. 10. Quando Sacerdos post consecrationem ante communionem percutit pectus, facit hoc tribus tantum digitis ultimis dextræ, quia pollex & index non debent post consecrationem tangere casulam, Cav. 494.

Q. 71. Quid notandum sit circa ritus oculorum. 495.
R. Seqq. §. 1. Oculi elevantur ad *Munda cor meum, Veni sanctificator*, ad oblationem hostiæ & calicis, sed offerens hostiam statim iterum deprimit in hostiam, offerens autem calicem tenet elevatos. Item elevantur oculi ad *Suscipe S. Trinitas, Te igitur clementissime, Gratias agamus*, dum dicit, *Deo nostro, Qui pridie*, dum dicit, *Elevatis oculis*: Quando hostiam & calicem elevat, hæc enim respicit, donec deponat. In fine ad *Benedicat vos Omnipotens*.

§. 2. Oculos demissos tenet, dum accedit vel recedit ab altari: Quandoque se vertit ad populum: Sub utroque *Memento*: Post consecrationem plerumque conjiciuntur in hostiam, nisi occupentur in legendo. 496.

Q. 72. Quid observandum sit circa Missas votivas. 497.
R. Seqq. §. 1. Missa votiva est, quæ ex voto seu arbitrio Sacerdotis legitur præter directionem Rubricæ, & discrepanter ab Officio: Licitæ est autem votiva, si ad sit rationabilis causa, alioquin non est temerè recedendum à Rubricâ & usu communi.

§. 2. Prohibentur votivæ, 1. diebus Dominicis & festis duplicibus, nisi sint ad libitum, tum enim licent, quia privilegium orandi Officium 498.

cium

cium potest acceptari sine privilegio legendi Missam. 2. Infra Octavas Epiphaniæ, Paschæ & Pentecostes. Et per decretum *Clementis X.* 21. Jun. 1670. infra Octavam Corporis Christi. 3. Die Cinerum, Septimanâ sanctâ in vigilia Nativitatis Christi & Pentecostes, item in vigilia Epiphaniæ per S. Congreg. 27. Apr. 1698.

499.

§ 3. Pro causa publica legi possunt etiam in duplicibus, si non sint primæ classis, *Gav. Dian.* & alii. Imò & in duplici primæ classis aut in Dominica vel festo de præcepto, si sit pro causa publica & Missa solennis, *Sennyet*: Necessitas autem sufficiens ad privatam votivam in duplicibus non primæ classis sunt preces 40. horarum, publica gratiarum actio &c. putantque *Henriq. Tann.* & alii sufficere quancunque rationabilem causam, v. g. ut satisfacias fundationi: addunt *Jord.* & alii, si promiseris accepto stipendio, sed *Tamb. & Gob. t. 3. n. 715.* probabilius dicunt, quamvis jurâris aut voveris, te non teneri legere, quia nemo obligatur ad aliquid prohibitum, & æquè multum prodest Missa de tempore. Putat tamen *Tamb.* excusare notabile incommodum, v. g. cui valde difficile esset legere Missam, in quâ est longa Passio, posset secundum ipsum accipere votivam de Passione Christi. Præterea *Tamb. & Gob. nu. 712.* putant excusare singularem devotionem lecturi vel audituri talem Missam, sed optima devotio est se accommodare directioni Ecclesiæ per Rubricas.

500.

§ 4. Licita est votiva, quando die feriali recitatur Officium Dominicæ omissæ vel anticipatæ. Putat tamen *Gav.* non debere tum dici loco Missæ principalis.

§. 5.

§. 5. *Angel. & alii* damnant eum mortalis, 501.
 qui absque rationabili causa die prohibito le-
 geret votivam, sed *Suar. Bonac. Pill. Regin. Di-*
cast. Ford. Lohn Portel, Burgh cent. 2. casu 5. alii-
 que apud *Quarti* in q. procem. f. 6. p. 7. & p. 1.
 tit. 4 d. 5. dicunt Rubricas istas de votivis esse
 tantum directivas nec obligare sub peccato.
Quarti tamen & *Aversa* probabilius dicunt, da-
 to Rubricas illas esse directivas, tamen fore ve-
 niale, si quis sine rationabili causa se ab illis, &
 à communitate difformet: imò si quis in Do-
 minica sine rationabili causa legeret votivam
 solennem, putant *Suar. & Quarti* fore mortale,
 alii tamen merito non agnoscunt tantum ri-
 gorem.

§. 6. In votivis omittitur *Gloria & Credo*. Si 502.
 tamen fit de Angelis vel de B. Virgine in Sabba-
 tho, vel in die quo Sanctus obiit, vel in solenni
 pro causa publica, dicitur *Gloria*, nisi sint para-
 menta violacea, tum enim semper omittitur
Gloria, uti & *Credo*, exceptâ Dominica, si fiat
 votiva solennis, aut etiam privata, tum enim
 dicitur *Credo*.

§. 7. Infra Octavam non fit votiva de eo, de 503.
 quo est Octava, sed dicitur Missa festi conve-
 niens Officio cum *Gloria*. Quod si fit infra Octa-
 vam v. g. B. Virginis, & fiat Officium de aliquo
 Sancto, pro votiva de B. Virgine dicitur Missa
 festi B. Virginis, sed extra Sabbathum sine *Glo-*
ria, & semper sine *Credo*. Et idem est de Sanctis,
 inquit *Arnaudus*. Quod si petatur votiva, v. g.
 de Pentecoste aut de Assumptione, putant
Quarti & Aversa non esse legendam de diebus
 illis, sed votivam in fine positam de Spiritu S.
 & B. Virgine, voluntque multi idem fieri,
 quando

quando petitur de Sancto aliquo, sed alii cum *Lohn.* melius dicunt liberum esse hanc velulam legere, præsertim quoad votivas de Sanctis, mutatis mutandis, v. g. mutando *tò natalitia* vel *feſta* in *tò commemorationem*.

504. §. 8. In votivis semper dicitur psalmus *Judica*, item ad introitum & *lavabo*, *Gloria Patri*, etiam si sit Missa de Passione etiam infra hebdomadam Passionis, S. Congreg. 10. Febr. 1647. In votivis privatis dicuntur orationes plures, ut in festis simplicibus, semper impari numero; Secunda oratio est, de quo fit Officium; Tertia, quæ aliàs fuisset secunda & hoc servatur etiam tempore Passionis & infra Octavam. In votivis tamen de B. Virgine tertia est, *Deus qui corda*, Et de sanctis Apostolis Petro & Paulo, si secunda esset *Acunctis*, loco ejus dicitur, *Concede*. In votiva solenni est tantum una oratio, & si quis velit addere alteram pro gratiarum actione, utraque dicitur sub una clausula, non item in privata Missa, *Gay. Lohn.* contra *Quarta*.
505. §. 9. Præfatio dicitur propria, si habeat, aliàs de tempore vel de Octava vel de communi. Si fiat votiva infra Octavam Nativitatis Christi, dicitur præfatio de Nativitate, licet votiva haberet propriam. Dicitur etiam *Communicantes* & *Hanc igitur*, si votiva dicatur infra Octavam, quæ illa habet propria. In fine semper dicitur Evangelium S. Joannis.

506. Q. 73. Quid observandum sit circa Missas de Requiem. R. Seqq. §. 1. Missa de Requiem licita est aut prohibetur iisdem diebus & temporibus, quibus votiva, potestque similis necessitas vel causa excusare, ut legi possit diebus aliquibus prohibitis, *Gay. Lohn.* Non legitur exposito *Venerabili*.